

promptitudine, conceptas quinque Monarcharum leges, omnium expectatione citius, solennium verborum formula firmavere. Celebraverit jam antiquitas Africani superioris, cum Ti. Sempronio Graccho, depositarum inimicitiarum exemplum; ut qui, ad ejusdem mensæ sacra, odio dissidentes, venerant, ab eâdem, non tantum amicitia sed & affinitate juncti, discesserunt: nec contentum Scipionem, auctore Senatu, in Capitolio, Jovis epulo cum Graccho concordiam communicasse, sed & filiam ei Corneliam protinus ibi despondisse. Suburbana Vestra, GEDANENSES, in Oliva, non duo Principes Romani privatam inimicitiam Reipublicæ donavere; neque Corneliam quandam filiam triumphalis civis civi Patricio & illustri collocavit: sed LEOPOLDVS I. Romanorum, Germanorum, Hungarorum, Bohemorum; JOANNES CASIMIRVS Polonorum, Lithuanorum, Russorum, & Borussia; Carolus II. Suecorum, Gothorum, Wandalorum; *Fridericus III.* Danorum & Noortmannorum, Reges; nec non & *Fridericus Guilielmus* Brandenburgicus Elector, potentiâ ipsismet Regibus ferè par, dignitate suppar, unicâ Majestate minor; ac Unitarum Provinciarum Ordines, maximarum Europæ partium bella publica posuere; & concordiam, Pacis filiam, sibi invicem desponsantes, eâ singuli singulorum manus, omnes unâ religiosæ Pacis benedictione sacras, beaverunt. Tantæ verò rei ad memoriam, Olivam ipsam ipsiusmet augustæ Pacis gloriosâ statuâ, perpetuo Victricis monumento, per ipsos Suïonas consecrare visum fuit; Vos ut apud GEDANENSES scilicet, quorum in constantiam & fidem Mars infelix nihil valuit, eo penitus per concordiam nunc exarmato & prostrato, Pax æternum triumpharet.

Et hic potissimus, quem, GEDANENSES, Vestram per SAGVNTVM NON DELETAM, fidelissimi ac constantissimi intendistis, felicissimi & obtinuistis, res videlicet Polona conservata, restaurata, & pacata, fructus fuit. Quid enim Putzeum, & territorium Pucense Vobis? Constantissimo Pompejanarum olim partium, etiam post Pharsaliam, & ipse Magni Pompeji fata, Equiti, fortissime in Africa, & ut præcipuorum civium Romanorum sensus erat, pro Republica pugnanti, optimèque suam per virtutem, omni occasione

*Gedanensium
merita atque
gloria è 1013
bello.*

continuo probatam, suisque à comilitonibus perpetuo laudatam, merito, T. Labienus non exiguam auri massam profuse obtulit, quam ille, donantis ante pedes generosissime projectam, repudiavit: sed argenti tenuissimas armillas, ab ipso met Scipione datas, cum gaudio accepit; quia nempe Imperator ipse met dederat, nec minus adeo, quam offerentem & largientem respiciebat. Vos GEDANENSES virtutis, fortitudinis, felicitatis admirandæ, nunquam satis prædicandæ, nec ullo auro, imo Tago, vel Pactolo, venisque integris Porosianis compensandæ; cujus hactenus exemplum ipsi met nullum vel à priscis accepistis, vel à Majoribus audivistis, vel in authoribus vidistis, aut Vestris oculis legistis, sed universo unicusolique Mundo præbuitis, ut magnanimitate nullis mortalium cessuri, ita quosvis Labienos quantumvis munificos specturi, haud aliter capitaneatum Pucensem illum, quam argenti, reverà, si Vestram fidem, si constantiam, si infinita in Sarmaticam Coronam merita consideremus, tenuissimas armillas, ab ipso Rege, & ab ipso Regno, admittere potuistis, & tantummodo, ut crediderim, admisisistis, quod utriusque in posterum securitati magis adhuc prospiceretis. Recte nimirum omnia fecisse; prava consilia sprevisse, optimis inhæsisse; subdole promissa acutissime vidisse, nec admisisse; aperti Martis, & Larvæ artis cuniculos subruisse; pro bono, utili, honesto, fortiter sterisse; causam optimam fidelissime fovisse, constantissime defendisse, felicissime erexisse, armis & prudentiâ vicisse; humanitate, generositate, magnanimitate emicuisse, eminuisse, exceluisse; unius urbis, verè Regiæ, perfectionis, & plenitudinis desideratæ, omnes numeros implevisse, absolvisse, & hinc prælatam aliis fuisse; bellum, denique, Pace, & Concordiâ mutavisse, & per hæc innumeris triumphis Regem, Regnum, Vosque beavisse, id Vobis utique potissimo pro emolumento & ornamento GEDANENSEBUS suffecit.

Gedanensium è

pace Vigor;
 Et Dantiscu,
 seu Regina
 urbium ad
 mare Baltici
 annu celebra-
 tur.

Sedet jam illa ampla, illa dives, illa potens, illa fortis, illa felix
 SAGVNTVS Vestra & Polonici ipsius Regni NON DELETA, illorum
 omnium, quibus eam Fortuna exercere libuit, experimentorum
 victrix, adversæ triumphatrix, secundæ moderatrix, successuum ma-
 jestate fulgens, Pace florens, cornucopiâ multifariam instructa, af-
 fluens,

fluens, abundans, magno Vistulæ, Sarmaticorum amnium Regnatori, desponsata, Mercurio dicata, Palladi non ingrata, cunctarum urbium ad mare Balthicum (Lubecensium pace dixerim) REGINA. Sedit, inquam, in vestitu quasi deaurato, circumamicta varietate, &, ad instar Jani quadrifrontis; totidem Mundi plagis, Austro, Aquiloni, Orienti, & Occidenti, suam singulis speciosam adeo gratamque faciem, hilarem, serenam, & illecebrosam exhibet, ut à faventibus earundem Faunis suorum æmulâ agrorum gratiâ, per maria, per terras, proficuarum classium & jumentorum beneficio, ventis etiam & elementis ipsis suffragantibus, colatur, adoretur, jugique sacrificio, multarum velut Dea Gentium, omnem ad exuberantiam, vicinis, procul diffitis, Vobisque, reciprocæ devotionis ergo, opportunissimam, augusta indies & augustior, imo & augustissima reddatur. Ut tota de Scandinavia, priscis illis Vagina Gentium; tota de Æsthonia, de Livonia, de Pomerania, de Dania, & illa nobilissima, Orbique universo per ingenium, solertiam, & industriam indefessam, utilissima de Batavia, quæ, ad ejusdem superbissimum illius Vestræ Reginæ mundum instruendum, & aromatatum exoticarum Ei fragrantiam conciliandam, ex parte maxima partes Orbis, Indias & Moluccas navigat, omnino taceam; sola Polonia, cujus gratiosissimo in sinu, semel Vobis à GEDANENSIBVS ambitu, nunquam postea fastidito, animosè Ea & gloriosè resider, quid non, ipsismet suis è visceribus, Eidem extrahit; & nunquam non auspiciatò benignissima è tellure sua, eidem præbet? Tam id illa probè scit, quam id ipsa Polonia non nescit. Polonia, dico, Europæ illa fecundissima Ægyptus; gratiosissima Occiduarum regionum Nutrix; almæ Cereris, Proserpinæ, marisque Balthici, & huic jugiter innatantium, & prægnantium Nympharum gloria; quæstuosa Regum vicinorum arca; gentium barbaricarum obex; Christiani nominis propugnatrix; Ecclesiæ Latine propugnatrix; Græcæ fulminatrix; & sola ferè, ferè unica heterodoxæ fidei monstrorum nunquam Genitrix, nec unquam educatrix. Polonia, Costacorum Domina, nunc rebellantium clavâ, ferro, virgâ, imminens Magistra; irruentium Scytharum promptissima Castigatrix; Turcarum fortissima propulsatrix; Solimani illius magni, *ne plus ultra*
auda-

audacissima Imperatrix ; Osmani Juvenis , & tot myriadum Osmanidarum , è statione vitæ potentissima Profligatrix ; Amurathis tumidissimi ingentium minarum gloriosissima triumphatrix ; Othomanicæ lancis Martiæ , ne Borysthenem , Berezinam , Tyramque versus æquilibrium excedat , etiamnum accuratissima Ponderatrix ; omnisque gloriæ terrarum omnium generosissima æmulatrix . Polonia , quæ , ut primò ex se nata , ita nuper , conspiratione Gentium , propemodum denata , Vobisque GEDANENSIBVS (uti vidimus) potissimum suffragantibus , ex se renata , & ad extrema quoque Juriæ Fioniæque ultionem ausa , suam demum , cum perdidisset , potentiam invenit , longamque sui post ignorantiam se ipsam tandem nosse didicit ; quam & hinc serenissimi externi , qui eandem prius nescivere , non nisi victam , mox victricem , melius & penitius didicere , eandemque , nondum ejus marito mortuo , quasi viduam , jam tum haud aliter quam sponsam , amare , ambire , procarì certatim incepere ; magis utique , postquam ille (maritus scilicet) coronâ positrâ , pulcherrimum pomum illud , velut Eridis , litigio Junonis , Palladis , atque Veneris , exemplo apud Sarmatas absque alio exemplo , in medium projecit .

Transitio ad re-
signationem
Casimiri , &
electionē Mi-
chaelis , Re-
gum .

Placetne Vobis GEDANENSIBVS , quoniam hoc admirabile , & propemodum ineffabile duorum Regum , unius , Vestram per constantiam & fidem plus quam *Saguntinam* , quasi dextra jam reducti , toto à novennio diademata fastidientis , ultro deponentis , & discedentis ; & alterius minimè ambientis , & , Vestro quoque concurrente voto , præter opinionem omnium , electi , vel invitè assumptis , argumentum tetigi , quo hætenus suspensum Orbem , atque generis humani sollicitudinem absolverunt , nonnihil prosequar ? Placeret utique , placeret , scio , nisi utriusque , & successorum deinceps omnium , regnandi gratia , ex parte magna in Vestram , GEDANENSES , gloriam , adeoque forsan & in invidiam redundaret . Pergam tamen . JOHANNES CASIMIRVS igitur , post longum variæ Fortunæ Regnum , sollicitudinum Regiarum satur , quod Diocletianus & Maximianus olim Imperatores Ethnici in Italia & Dalmatia ; quod Carolomannus & Lotharius , hic Imperator , ille Rex Francorum Germanorum , Christiani , in Italia & Germania : quod

Caro-

Carolus V. Imperator Rexque simul, & Monarcha tot Regnorum, in Germania & Hispania; & quod Bogor etiam Rex Bulgarorum sua quondam in Bulgaria (qui ex Ethnico Christianus, & è Rege deinceps Monachus ipsummet suum nomen Bogoris, atque Regiam fortunam omnem, ominoso MICHAELIS nomini transcripsit) Regum primus, & Familiae suae ultimus, in Polonia facturus, Regnoque se vivente & vidente prospecturus, curas Regias quiete, Purpuram *Manteletto*, sceptrum pedo, mitraque Praefulis diademata mutavit; quorum Sarmaticum ille sapientissimus *Nicolans in Prazmouy Prazmouvski*, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus natus, Regni Primas primusque Princeps, tametsi tota cum Polonia, ut viventium suorum Regum religiosissima cultrice, sero dignum & idoneum ad Successorem animum inclinaret, tandem tamen vel invitus venerabilis sui capitis internae circumferentiae, secundum omnia lineamenta eidem adaequatae, adaptare coepit. *Prazmouvski*, repeto, qui prudentiam, ingenio, & iudicio defecato, interregnum à principio, in progressu, & in fine, Senatorem verè primum luculentissimè se probavit; suoque Proregio illi muneri nullo non numero (quod unicum praedicasse sufficit) se parem demonstravit. Postquam ille itaque Magnatum Procerumque Polonorum summus Electoralia ad Comitum Senatorium & Equestrem Ordinem, Vestramque Regiam, GEDANENSES, urbem, unà cum aliis suo gaudentibus quoque voto, convocavit & citavit, tunc nimirum quantae considerationis Poloniarum toti Mundo Regnum foret, maximorum Monarcharum, candidatos aut commendantium, aut dedignantium, aemulatio declaravit. Et horum quidem remotissimus, Sarmatico Regno Vestro foedere conjunctissimus, decumatis in Asia majori Scytharum, agris magno Mogore, Hydaspi, Oceano Indico, Ormuziano sinu, Euphrate, Tygide & Araxe circumscriptus, quem vis eligi, sed palaestra Martiae non rudem, desiderabat, ut quem, in eventum omnem, & communem forsan aliquando hostem communium armorum socium destinabat, Polonae Genti addictissimus *Schach* Persarum. At ille maximus Possessor Mechae, Medinae cultor, sectator Homaris, inimicus Haly, duorum Imperiorum, tot Regnorum, Canopicaeque Phari, atque

Bosphori Claustrorum Dominus, bellans alibi, hic sollicitus, exclusi unicum dumtaxat nunc Borystheni incubantem & amicæ suæ Cherfoneso Tauricæ minitantem, quærebat & suadebat, *Sulhanus* scilicet potentissimus Turcarum. Idem verò, idem ille, quem Byzantius Monarcha in tantum abhorrebat, suam ad Smolenscum & Kioviâ, in suo filio, magnitudinem quam latissimè expandebat, ac, arrogantiae singularis, superbo quoque silentio offerebat, legatione magnâ stultè ambiens ambiri, ut libenter suo in primogenito VLADISLAVM alium, à Russis quondam ultrò expeditum, in theatrum Orbis, conatu æmulo, mirâque rerum vicissitudine, produturus, Orthodoxo Schismaticus à Regno, ac Polonâ libertate violum mancipiorum Dominus jure merito explolus, *Czar* Moscorû.

De Corona Polonica præcipue candidatis.

Erat autem, erat aliis Vobis GEDANENSIBVS vicinus Princeps, si una dogmatis, Sarmaticæ Coronæ non probati, neque grati, pertinacia non obstiterisset, ipsique viam ad Regale solium non præcluserisset, profectò spontè, neque ambiens, ambiri dignus, ad Mosam, Rhenum, Ruram, Lypiam, Visurgim, Albim, Oacram, Viadrum, Vestrumque Vistulam, nec non Pregellam, plurimarum Regionum potens, prudentiâ non exiguus, virtute magnus, Ducatus integros, ditiones, & oppignoratas urbes, ut apparebat, si eligeretur, Regno redditurus vel adjecturus quoque optimè de eodem *Georgium* pet *Lubomirscium*, legum fundamentalium strenuissimum assertorem, & acerrimum libertatis læsæ defensorem, suffraganeâ manu meritis: sed ille, Regio alibi exemplo & apophthegmate, quantumvis publicè & privatim utilissimo, non usus & laureata etiam Catholicorum sacra suis placitis non prælaturus, per *Averbeckium* & *Ihenam* apolectos suos ad Coronam alteri suffragari, quàm ipsemet coronari maluit, *Fridericus Guilielmus* Brandenburgicus Elector. Quanto autem hic remotior erat Religione, & proximior erat Regione, tantò alius proximior erat mente, at remotior erat Gente, ab illo Regnum omnium gloriosissimo & subtilissimo, jam dudum per Cassanum, per Arrhojunr, per Gramondum, per Sorellium, & per Auberium, domesticos scriptores (an & assentatores?) Caput Mundi destinato, restaurandam universalem ad Monarchiam, non nisi Cælo & Oceano terminandam, à Deo dato, atque Domino Dominant-

minantium celebrato; Hispaniam, Italiam, Britanniam, Germaniã, Bohemiam, Hungariam, ac Poloniam quoque Vestram, ceu Provincias hereditarias, ad coronam revocante suam, velut Hercules, Hector, & Achilles, invictissimus, fortissimus, felicissimus, & futurus haud in vanum (fateamur verum) quemvis etiam in Darium Alexander Magnus, calidissimè & callidissimè, per imbrem quoque aureum, suæ Danaæ (Poloniæ nimirum Vestræ) commendatus, & profectò nonnullis etiam, qui proditæ venditæque libertatis infame pretium non abhorruere, haud ingratus: ipsa verò *electio*-nis in arena ab Equestri Ordine, ob infestum annis aliquot suis arvis quoddam lolium, velut lilium, penitus exclusus. Ast Monarcharum omnium Nobilissimus, verè Christianissimus, & Sacratissimus illius, omnem extra controversiam, terrarum Orbis primæ Domus, nuper adhuc, per *Hatzfeldium*, Reipublicæ Polonæ, unâ cum SAGVNTO, GEDANENSES, Vestra fidelissima & felicissima, potentissima conservatricis; optimarum Sarmatiæ Reginarum, pravi nil conantium, nil innovantium, suavissimæ Genitricis; zizaniorum Regni, maximè peregrinorum, in eventum omnem, suffraganeæ extirpatricis; libertatis, legum, iurium avitorum amatricis, & promptissimæ proteptricis, verbo, Austriacæ Ethnearches, ditionibus suis amicissimis, temperq; ad subsidium paratissimis, utramque Poloniam à Pomerania ad Carpatios complectens, per *Schafgotzium* legatum, Weiheranâ Regni Senatoriâ affinitate gratum, pari Germaniarum & Hispaniarum voto, voce, unum Concordiæ suavit Candidatum, Pace natum, Reipublicæ desideratum, atque Superis probatum; LEOPOLDVS videlicet Romanorum Imperator semper & Augustus. Et ejusmodi, reverà, energiæ esse videbatur magnus in Germania stirpis maximæ ad Danubium & Rhenum Princeps, Cæsarum Regumque Soboles, Varsaviæ pridem Regius affinis, per Regum filiam & sororem Sanguini Jagellonico innexus, & ipsius quasi Coronæ filius idemque procus, ferè sponsus & maritus, excellentissimis & virtutibus Regeque dignis justo cum encomio Ordini Senatorio commendatus, & ab iisdem, procul dubio, si potentem & concurrentem æmulû non habuisset, inque Jovis supremi diphtherais fuisset Rex creatus, *Philippus Guilielmus* Comes Palatinus Rheni

Rheni Neoburgicus, Bavarix, Julix, Clivix, Montiumque Dux.

*Electio Michae-
lis Regis vel-
ut miracu-
losa.*

Cum verò jam paulatim mysteria cœlorum, & secreta superum se aperirent, quò fata viâ invenirent, & è fîllo Jovis cerebro, divîsione Regni, illa minimè expectata, & ne quidem cogitata, Vobisque tamen destinata Pallas mirificè prodiret, pars magna Ordinum Caroli illius Magni genuinum, ut ferunt, sanguinem; Imperatorum Orientis Latinorum, & tot Regum Hierosolymorum, in Turcas & Agarenos Fulminum, felix Germen; speciosissimum Juventutis Florem, suum etiam generosissimæ virtutis fragrantissimum odorem è nupero bello Turcico spargentem, fructus & uberrimos modis variis Reipublicæ Polonæ promittentem, vatis paribus produxit. Et hic erat Lotharingus ille Princeps *Carolus*, Serenissimi *Francisci* filius, qui Palatino Neoburgico, fatali schismate, mox æmulus eluxit. Quid ergo? Cum civilium armorum scandalum, periculosissimas ob factiones, manifestè jam Discordia parturiret, & avidissima Bellona sanguinis mare rubrum vehementissimè sitiret, fortunatissimo pro eventu CLEMENTE IX. summo Pontifice in Italia supplicante, omniq; Electorum Ordine in Sarmatia deliberante, Vester ille extemporaneus, verè merèque & Uranius ille MICHAEL KORYBUTHVS, tantummodo vel semel, procul dubio instinctu Numinis, nominatus, boni ominis examine mox apum (quarum Rex sine aculeo est) ceu Concordiæ Pacisque filius, à Pacis Principe probatus & commendatus, ac unius cœli candidatus, Sarmaticum ad Diadema ab æterno destinatus, & videnti conspirantium votorum miraculo, stupentibus ipsismet & eligentibus, universis placuit: & qualem *Schach* Persarum unice exoptaret; *Sultanus* Turcicus, extra belli aleâ, vel maximè desideraret; *Czar* Moscorum non expectaret; mens Gallorum subtilius versaret; Imperator Romanorum, integra cum Germania & Hispania, summo operè laudaret; atque totus terrarum Orbis, ob inopinata, & in Eo velut unico momento revelata decreta superum, attonitus adoraret, Rex apparuit. Vivat, vivat, vivat Noster ille Monarcha MICHAEL, ita tum, & tam altum, Vester Ipsi ad Varsaviam acclamavit Oriens, ut hic audiret & reverberaret Occidens; qui & hanc stupendam electionem

nem Ejus scriptis publicis, & typorum beneficio vulgaris, septem illis usque adeo decantatis Mundi miraculis, successu temporis, humanâ manu, & per intervallum, bitumine, calce, latere, saxo, marmore, ebore, & ære structis, longè quidem & rectè prætulit, ut ipsiusmet Dei digito, varia per miracula, & excitatos subirò, cœlestique vinculo colligatos incorruptæ generationis animos, creatam & formatam.

Libet & Divinæ providentiæ, dispositionis, & justitiæ altitudinem hic admirari, quæ, omnino Nobis nescientibus, post verò sentientibus & stupentibus, ab excelsis cadentes rivos sua sapius ad principia, priorem sapius ad celsitudinem, velut amnes suum ad Oceanum, unde exierant, annorum multas post periodos, imò plurima nonnunquam secula, felicissimè reducit. Certè res Romana, ab Iliensibus quondam condita, Albâq; Longâ translatis Romam, illustres, summas, Principesque per Familias, ad oppugnandum & expugnandum terrarum Orbem, animata; per Reges, Consules, Dictatores, & Triumviros, Pompejum, Crassum, Cæsarem, variè jactata; Monarchiâ horum uni cœlitus destinatâ, æquissimo favore superum, à Romulo ipsius Romæ conditore primo, primo Rege & Monarcha, Aenæ & Iuliserâ quidem, sed verâ tamen, ut volunt, sobole, post integros septingentos annos, ad Julium Imperatorem rediit, quoniam ab Iulo Julius descendit. Authores habeo, secundum quos jam trecentus quinquagesimus & secundus annus labitur, cum *Olelko*, illius magni *Iagellonis* è fratre nepos, eodem ipso cum *Iagellone*, suo Patruo, Cracoviæ lavacro regenerationis sacramentaliter ablutus, Christi ad Ecclesiam, & *Alexandri* nomen sanctè transiit: tam diu, eorundem fide Domus *Olelkonica*, ipso sanguine planè eadem cum *Iagellonica*, plurimos per Heroas *Wisniowicios*, in Sluczko & Ostrog Duces, stirpem felicissimam, Regno utilissimam, Regibus conjunctissimam, propagavit; donec *Iagellonicum* & *Olelkonicum* eundem sanguinem, tot per secula in Sarmatia regnantem, & in JOHANNES CASIMIRO se abdicantem, in hoc Vestro rursus serenissimo & potentissimo MICHAËLE KORYBYTO, ipsius etiam *Iagellonis* sero, sed, constanter ut affirmant, Nepote vero, justo Dei judicio, & non nisi disponente Cœlo, hoc Po-

Dispositio Divina circa electionem Michaelis Regis tanquam iustissima allegatur.

lonia prodigiosa electionis Circo regeneraret. Non hic lustrabo, neque multas & exquisitas per periodos mirabor magnum illud Theatrum gloriæ, quod Majores fortunatissimi Regis hujus hac eadem in Polonia & Lithuania, & vel maximè in Podolia & Volhynia ad Tyram, Bogum, Berezinam, & Borysthenem, è victoriis & trophæis, ex Turca, Scythia, Moscoque partis, felicissimè erexere: id ingeniis ego etenim elegantioribus relinquo. Dicam tamen, verbo dicam; quos gradus illi omnes summum quoddam ad fastigium extruxere, hos Fortissimus & Generosissimus illius Genitor *Ieremias*, exercituum Coronæ Dux Generalis, Cracoviensis Castellanus, & jam Castelli ipsius Regii, quod Rex filius habitaret, Custos, virtute ac fortitudine adversus Tartaros & Cosacos, præsertim ad Sboravium, probatâ, Regali solio proximius admovit, quos Electus, Senatorum, Equitum, atque Electorum suorum omnium reverenti jussu ascendere compulsus, Thronum Regium vel invisus, & verecundâ Majestate Regum maximus implevit.

At JOHANNES ille Vester CASIMIRVS, Regiis suis oculis ut vidit, quàm benè suum hujus serenissimi jam Monarchæ Vestri MICHAELIS humeris sederet Regnū, haud imprudenter specularus, duos similes Orientē scilicet & Occidentē, Soles, unius & ejusdem diu Sar-maticæ Hemisphærii non esse, Sceptri & Coronæ illi solitudinem voluntate ultima cū legavisset, & curarum Reipublicæ ex asse veluti hæredem jam scripssisset, ceu Regio omni munere defunctus, Regno Poloniæ excessit, alibi cœleste religiosæ mortis beneficio quæsiturus: quem tamen ut Prudentissimus ita & Generosissimus Rex ille Vester MICHAEL omni benevolentia Fraternali, Regi prosecutus, ne & haud temerè conceptam de se expectationem falleret, illius optimum successorem induit, qui, regnandi artes nisi intimè penetrasset, tam diu utique, jam Rex electus, velut arduas non recusasset. Et imprimis quidem, cū, virtutis ille Pacisquæ gratia Rex creatus, & reducendæ Paci destinatus, duarum Lithuanie magnarum, *Radzivilliana* & *Patziana*, Familiarum, adversas acies jam formantium, tantumque non pugnantium, concordia prospexisset; & huic Harmoniæ suavissimæ & acceptissimæ, ut ipsius Jovis & Electæ filia, præsentia quæque Numina, Mercurius alatus lyræ

& ca-

*Casimirus Rex
Poloniæ ex-
cedit, Mi-
chael optimū
Regē induit,
& Cracovia
coronatur.*

& caduceum, Ceres spicas, péplum & pretiosissimum monile Pallas, aliaque munera, mythologiæ ejusdem Regiæ, suoque temporis referata, devotione æmulâ derulissent & obtulissent, ille suæ sui que Regni securitatis necessariam rationem habens, summam per prudentiam, summo concilio duodecem virum Senatorum, ne Prodicium in se Herculem, & juncturis adhuc tenerrimum, robusta malevolentia quid moliretur, conjugium illud suum fecundissima cum Sarmatia religiosissimum & sanctissimum, suam usque ad inaugurationem, providè munivit. Hanc autem ille ut Angelicam quoque faceret, ipsiusmet Archangeli MICHAELIS, Patrôni sui, cunctorum spirituum creatorum Principis, cœlestis militiæ Ductoris, & Luciferi Debellatoris, solennitatem, Regni sui in Metropoli eandem esse sua Regia cum coronatione voluit; & eâdem (quod felix, faustum, fortunatumque) dalmatica regali corpus Regium suum vestit, dextram Regiam mucrone & sinistram sceptro Regio implevit, & Corona caput Regium exornavit; ut dalmaticâ se clementissimum, mucrone se fortissimum, sceptro sive virgâ se justissimum, & Coronâ ad infinitas, è suis hostibus, comparandas lauros se paratissimum demonstraret, Verbo dicam; ut amnestiâ, primo Atheniensium exemplo, fide integerrimâ omnem Ordinem pacaret, ense, ut Archangelus ille Polum, sic Rex MICHAEL Sarmaticum hoc solum malignis à spiritibus purgaret; Virgâ Regiâ rebelles castigaret; & diadema, seu lauro, victoriis desideratis, ut Polonia Regem suum MICHAELEM, sic Rex MICHAEL Poloniam vicissim suam coronaret.

Et hæc quidem Rex ille Vester MICHAEL, ille verè A DEO *Gedanensium* DATVS, prodigiosè Vestris ab Ordinibus creatus, hinc miraculis *devotio erga* fortunæ prosperæ destinatus, faustis & ominibus à Vobis inauguratus, hæc Cracoviæ: quid ipsimet autem Cracovienses præsentem illo suo Rege, Vosque *Michealem* GEDANENSES quid absente? Illi arcus triumphales, & in arcubus triumphalibus imagines Majorum, cum eorundem meritis & elogiis, exhibere; ærisque sacri & profani, Ecclesiastici bellicique, campanarum & machinarum identidem repetito festivo sono ac reboatu, in ipso maximè felicissimæ coronationis actu, solennem plausum cum acclamationibus augere: Vos autem, *Regem & triumphus triplex ejusdem coronationis die.*

Vos